

PROPEMPTICUM,
 QVO
 RAPTUM
 E STATU INFERORUM COMMUNI,
 VIRO
 ADMODUM REVERENDO, AMPLISSIMO,
 DOCTISSIMO,
 DOMINO
 JOHANN. ADAMO
 TZSCHORNIO,

MAGISTRO PHILOSOPHÆ CLARISSIMO
 PER EVECTIONEM
 DE SCHOLÆ LUBBENENSIS RECTORATU
 AD DIAGONI SCHAFSTADIENSIS DIGNITATEM
 VIRTUTE SERENISSIMA,

CIRCA ANNI M. DCC. XXXI. AUSPICIUM,
 AD VOTA SUA

PRÆSTITUM,

CONGRATULATUR,

ANHELANS IPSIUS SOCIUS AC CONTER-
 RANEUS,

JOHANNES SAMUEL FIEDLERUS,

MERSEBURG.

SUBDIACONUS ET RECTOR

APUD INFEROS VETSCHOVIÆ LUSATOS

AFFLICTISSIMUS.

LUBBENÆ,

LITTERIS JOH. JAC. BÖLLMANNI.



Kapsel 78 N 14 [86]

fls. Rect. Gumbel



Vo, SOCIE TZSCHORNI, qvo Rector raptus es apte?
Pristina pistrino cur Tua transtra vacant?
Per brumale Tuum tempus nil misit ad aures
Orci π rigidum, qvod det adesse Tuum.
Elyfios campos Tua qvos Tritonia lustrat?
Aut qvales ductus mens Tua docta videt?
Obstupet, aut turget, vel cum voce faucibus hæret,
Sive reassumfit nunc nihil ista suum?
Est Erebi nostri lex in contraria versa?
Qvæ circum cornu verba tremenda gerit:
EX ME NONULLI SUA GRATA REDEMPTIO SURGIT.
Æterno talo si manet idqve suo;
Cur Tua larva magis non ullibi cernitur alba?
Vel minus auditur vox gemebunda Tua?
Cumqve dehinc uni gressum revocare beatum
Non labor Hercules, non opus impos erit;
Cur mihi non licuit superas conscendere terras,
Sed Stygis obscuris cogor inesse locis?
Qui tamen ex Divæ Junonis fronte manuqve,
Delphica demendi verba minasqve gero?
Nam qvamvis manes Illius relligiosi
Convocitent Supero terqve qvaterqve Sato:
Hic miser est, hunc Tu, Collator Chare Supreme,
Ex Orci vinclis mox revocare velis.
Namqve Patrocinii nostri tunc solus amabat
Ima per inferias justa levare suas,
Et Specimen gratæ mentis prælustre reliquit,
Cum fieret ludi dux qvoqve mysta sui;
Per tria lustra tamen pœnas Jovis altipotentis
Sentio tartareas & sine fine fero,
Nec pro consumpto vitæ gazæqve vigore,
Ulla seni virens umbra relicta mihi,

Qua soboli charo, nunc artibus instituendo,
 Chari iusta patris solvere rite queam.
 Hæc ego vexata dum mecum mente rependo;
 Immanes Furiaë classica dira canunt,
 Horrendoque modo cunctis legionibus atris
 Evocitant abitu, TZSCHORNE Perite, Tuo:
 Fugit & excessit Rector Lübnensis, & unguis
 Non quicquam signi vile reliquit humo.
 Fertur &, indomita Primi virtute Sereni,
 Ad mystam tractum sacricolamque pium.
 O Pluto callens! quid nunc committis agendum?
 Ex cubias omnes, Hic, geminate, vocat;
 Ne consors audax ejus vestigia calcet,
 Necraptu pluris ver abeuntis eat.
 Æacus id capiens, Minos, Rhadamantus & omnis
 Arbiter infernus, qui Stygis acta legit:
 Claudas Charon undas, claudas quoque, Cerbere, portas,
 Inquit, & ære gravi suffice cuncta loci,
 Cui superest patuli quicquam fissique meatus,
 Quo secedendi copia nulla fiet,
 Nec Vetschovenensis sua prisca foramina Rector
 Spiret, & invito possit abire choro:
 Namque suum perfer perdurat tartara nostra
 Tam forti, nostis, tam validoque modo,
 Ut nec Beclidum stillantem terreat ollam,
 Sisyphæum saxum, Tantaleamque firim,
 Nec Tityi volucrem, nec non Ixionis orbem,
 Alcidis nullum nonque Gigantis opus.
 Nec quicquam duri curet gravidique laboris,
 Sed persollicitis dissipet articulis.
 Telephus ergo fiat, tabesque perennis eidem
 Consumat mentis corporis atque bona.
 Ne celeresque pedes possit de sede movere;
 Thefeus ignitam cedat ei que petram:
 Gloria sic nostri non commutabitur orci,
 Quæ docet: **EX NOBIS NEMO REDEMPTOR ERIT.**
 Hæc cum, Mi TZSCHORNI, sic sint, DILECTE MAGISTER;
 Quid magis infelix quam mea Musa sacra?
 Quis patriæque Satus Te Te felicior audit,
 Qui nunc in terris ejus alacris ovas!
 Tu scio vitæ solatia recta creabas,
 Dum percepisset congemuisset Tuum:
 Te vero raptò, rapitur solamine cuncto,
 Nec tenet extinctus velque superstes erit.

Quare reliquiis gemitus de pectoris imo
 Ducere perpetuos cedite quique meis.
 O mea mens docilis! cur exemplaria docta
 Verfasti gnava nocte dieque manu?
 Proh! cur navasti studium tantum pietati,
 Si tam tartareos fert tibi datque locos?
 Quid nunc non Orco nato, Deus Alme, talento
 Nostro sperandum? non nisi Ghenna duplex.
 O DEUS Omnipotens! ex quovis mitte juvamen
 Cœli coryto, qui tibi restat ibi.
 O patriæque Pater! quo non clementior alter,
 Annue Maternis Manibus, atque piis
 Votis, de nostro Ditis relevamine spondis,
 Patricio misero ferque potenter opem.
 O patriæ fortes Ithaci cauti que Solones,
 Sangvine præsertim qui mihi junctus ades,
 Pondus & excelsum tollendi ducis egeni,
 Fac mihi cum Cunctis ferque scienter opem!
 Non Abraham sitis, diti relevare recusans:
 Nam neque sum dives, nec mea grata ferens;
 Sed Lazari fortes cruciatus atque malignos
 Per vitæ tractus hic & ubique tuli.
 Hinc desperanti nostræ succurrite Musæ,
 Ne pereat non fons, vah! sine fine mali.
 Tu vero, TZSCHORNI, MI fallere nescie DAMON,
 Qui scyllam nostram transiliisse falis;
 Non unquam gusta solerti mente charybdim,
 Ostia speluncæ quam Tibi nostra vovent,
 Sed pro sustentis ærumnis gaudia carpe,
 Martis in excelis non fugitiva locis.
 Vive diu salvus, felix & liber ab omni
 Fatorum tristi sorte maloque gravi.
 Servet Te Summus cœli Moderator olympi
 Conjuge cum chara progenieque proba,
 Ut videant Tecum Divini Numinis ingens
 In Martis viva nunc regione bonum,
 Et valeant omnes per longos temporis annos
 Hoc in perpetua prosperitate frui.
 Viribus ex alto Te Numen compleat Altum,
 Muneris ad sancti transtra ferenda Tui,
 Faxit &, ut condas multos, pluresque reducas
 In vitæ callem, quosque beare queas.
 Cumque preces fundis; pro me quoque brachia tolle,
 Ut rapiar Te post atque repente trahar.

PROPEMPTICUM,
 QVO
 RAPTUM
 E STATU INFERORUM COMMUNI,
 VIRO

ADMODUM REVERENDO, AMPLISSIMO,
 DOCTISSIMO,

DOMINO

JOHANN. ADAMO
 SCHORNIO,

MASTRO PHILOSOPHÆ CLARISSIMO
 PER EVECTIONEM
 HOLSÆ LUBBENENSIS RECTORATU
 I SCHAFFSTADIENSIS DIGNITATEM

TUTE SERENISSIMA,

CA ANNI M. DCC. XXXI. AUSPICIUM,
 AD VOTA SUA

PRÆSTITUM,
 CONGRATULATUR,
 ANS IPSIUS SOCIUS AC CONTER-
 RANEUS,

JANNES SAMUEL FIEDLERUS,
 MERSEBURG.

SUBDIACONUS ET RECTOR
 D INFEROS VETSCHOVIÆ LUSATOS
 AFFLICTISSIMUS.

LUBBENÆ,
 TERIS JOH. JAC. BÖLLMANNI.

el 78 N 14 [86]

fls. Rect. Gm. Rahn

